

/ Dilecte fili noster salutem, et apostolicam benedictionem. Quod  
tuis literis ad nos scriptis amanter fecisti, ut nobis a Deo Patre mise-  
ricordiarum festos Natalitios dies faustos et felices optares, id  
nobis antequam easdem literas legeremus, ita persuasum ac certum,  
5 erat, ut illae nihil novi hoc de quaestione, ac multum tamen iucun-  
di nobis attulerint; tua enim in Nos pietas et charitas iam pridem  
perspecta est, et cor tuum in ipso nostro intuemur, in quo ut fili-  
us noster dilectus habitas in visceribus Iesu Christi. Illud autem  
in primis nobis iucundum fuit, quod de tua salute ea accepimus, quae  
10 maxime optamus. Tum illa pergrata, quae narras de tua pastoralis  
sollicitudine, et piis laboribus ad Dei gloriam, et Christi ovium is-  
tarum utilitatem, quae tibi sunt creditae. Gaudeamus in Domino, fi-  
li, quod talenta tua, quae multa, et praeclara a Deo accepisti mul-  
ta, multo cum spirituali fructu in ista insigni Ecclesia negotie-  
15 ris, tibi quae divinae gratiae abundantiam precamur, ut uberiores in  
dies fructus, et lucra animarum Deo iuvante capias, et nos toto ex  
animo circumspectioni tuae nostra benedictione Apostolica benedi-  
cimus, atque ut pro nobis ores, ut pie te facere non dubitamus, a  
te etiam atque etiam petimus, etc... Die 10 Ianuarii 1603; Pontifi-  
20 catus nostri Anno XI.

Silvius Antonianus Cardinalis.

[ Archiv. Postul. Volumen iurium, f. 302. ]

*Summ. assid. p. 65-66*